



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Salvius Episc. 10. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

10. Sept. VITÆ SANCTORVM. 441
gere è lectulis ægros , è vinculis captivos jussit? Nos duo tantum scribemus, quorū pueri unum, alterum bis pueri senes legant. Episcopus jam Morinensis adolescenti interdixerat, ne cymbâ in aquis luderet. Risit ille, & lusit. Sed inobsequen- tem venti fluctusque in altum , inde è Galliâ in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immori- gerum conjurasse cum aquis terram agnosceret, latrones in littore veniente præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer nauta? Nempe remi preces , vela divi apud D E V M A V D O M A R I merita fuerunt. His ille in patrium portum in- ve- stus , nauum Navarcho suo obsequium dehinc persolvit. Hic cùm amissos senio oculos ad D. Ve- dasti tumulum recepisset , mox facti pœnitens cùm non videret, an ex re animi esset videre, pre- catus est D E V M , iterum eriperet, si noceret, lumen. Eripuit, & in cælum abituro duces Angelos misit. Ibi ille cæcus nunc D E V M videt. Ex Surio.

Indue te, quo so, veste innocentia, ornate quasi veste polimittâ varietate virtutum, & qui te fidei annula subarrhavit, in te odorare latetur aromata gratiarum.
S.Bernard.de char.cap.31.

S. SALVIUS EPISC. 10. Septembbris.

M Erítò hodie plaudimus SALVIO , qui belle omnes personas egit in eâdem vitæ fabulâ, Judex, Monachus, Abbas, Episcopus. Et ne even- tus sive Comicos, sive Tragicos desideres, bis vi- vus, bis mortuus. Unicam scenam specta. Con- cluserat, cùm Abbatem exuisset, angustâ cellâ sese. Sed natus cælo animus libertatem morte quæsi- vit reperitque. Jam extulerant mortuum , jam tumulo inferebant, cùm è ferali capulo se tollens

T 5

mul

simul vivere iterum, simul vitæ illacrimari cœpit.
 Heu! eheu! ubi? hominum & Cælitum fidem!
 ubi sum? imò eheu! ubi fui? unde, ah! excedi?
 felix mors, quæ vivere me feceras? infelix ni-
 miūm vita, quæ mori iterum me cogis! Juvat, ô
 juvat iterum mori! Narrat deinde à morte ad
 beatas delicias abductum se inter Angelorum &
 Divorum comitatum, jam ambrosiam gustasse,
 jam nectar illud libasse; sed quod opera ejus porrò
 terris necessaria diceretur, ad vitam iterum dam-
 natum esse. Et nimirum ex ergastulo suo ad Pon-
 tificatum Albigensem extractus pauperibus pa-
 trem, captivis vindicem se libertatis præbuit. Va-
 ticiinis insuper clarus Regiis ædibus quandoque
 nudum gladium imminere conspexit, qui gemi-
 nos Regios filios intra vicesimum diem sustulit.
 Quod tamen mortuum se crederet, quamdiu vi-
 vebat, sui funeris ipse vates & vespillo tumulo se
 compósuit, & bis victor cælo subiit, viæ utique,
 quam nuper iverat, minimè jam ignarus. Ex
Greg. Turon.

*Hunc sequamur, huic militemus, cui conjunctus
 nusquam disjungitur miles, qui militantibus sibi glo-
 riam vitæ aeternæ, honorem regni cælestis & divitias
 hereditatis sue & divina cognitionis consortium peren-
 ne largitur. S.Paul.Epist.36.*

S. NICOLAUS TOLENT. CONF.
 10. Septembri.

Septennis NICOLAVS solenne deinceps habuit
 tres in hebdomade dies, interquæ eos illum
 etiam, quem VIRGINI dicamus, pane cibario &
 fontanâ victitare. In Canonicorum deinde Col-
 legium ascitus, cum illa pro concione D. Joannis
 audisset